



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

11 Sem Noe Filius. Iaphet Noe Filius. Statuæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Nisi quod mutuatis officiis,
 Ipse lapidi imaginem, lapis ipse durtiam commodavit.
 Et imaginis imago fuit.
 Improspere videbantur hæc scelera, si perirent.
 Ergo Turrim meditatur,
 Quæ ultra diluvii metum ac mundi metam,
 Trophæa cum sideribus misceat.
 Ed crevit impietas, ut condenda Sola nomina ostendat Soli
 Et peccare jam pudeat, nisi peccet in Cælo.
 Grandescit suis authoribus similis machina;
 Gigantum Turris, ac Turrium Gigas:
 Quam insistere sperat, contra fulmina fulminaturus.
 Sed ignavè superbus Artifex,
 Dum fluminum vires pavet, ad fulminum sedes accedit,
 Et patientiorem scopum exhibente magnitudine,
 Vindictæ occurrit quam fugit.
 Confusis igitur linguis,
 Ut cresceret Moles obstitit Cælum,
 Ut decrederet instiuit Euphrates.
 Vertitur ab imo compacta scopulis Babylon,
 Non solidum opus, quia stolidum;
 Vani nominis fulcrum, non vanum nomen.
 Uno prodigiosa miraculo, quod ruente Turri infamia stetit,
 Hoc te volebam parumper digredi: ad Christi Proavos redi.

SEM & JAPHET

NOE FILII.

STATUÆ.

Effinge mihi, divine Phidia,
 Ingenuos Juvenes duos.
 Qui collectum humeris palliolum
 In nudum Patrem averso vultu rejiciant,
 Ex uno gemini spirent lapide.
 Ut cognatæ materiæ, nexus unanimes fateatur, ac Fratres,
 Tam religiosum par Fratrum.
 Nec Argi ostendent, nec Athenæ,
 Nivea Paros materiam dabit:

Ut

Ut notus marmoris nitor, nitoris arcani sic nota,
 Pudibundus volo, & attonitos.
 Vis tales fingere? lapideos finge.
 Nam magni pudoris antesignanus est pallor, stuporis nigo,
 Capitalibus verò literis hoc adjice Lemma,
 Piis Fratribus,
 Semo & Iapheto
 Paterna fama tutelaribus.
 Quod Parentis nuditatem profanis oculis verberatam,
 Honesto pallii oppositu sanctissime protegerint:
 Et infami derisore objurgato,
 Infamiam sui seculi deleverint:
 Ac per suos etiam Nepotes,
 Impuris Chami Nepotibus,
 Transcripta impudentia multam irrogaverint:
 Ob eamque rem numerati,
 Pro injecta veste regiam Chlamydem receperint:
 Quot Filios tot Reges.
 Orbis universi Regionibus distribuerint.
 Alter Hebraorum, Romanorum alter parens.
 Hebraica Romanaq; Ecclesia Protoparentes extiterint:
 Humani demum Generis Servatorem
 Progenuerit alter, alter coluerit.
 Terrarum Orbis universus,
 Prospera Pietatis Imagine in exemplum data,
 Lubens gratusque gratulatur.

 ARP H A X A D

SEMI Filius,
 SALEM Aiphaxadi Filius,
 HEBER Salemi Filius,
 PHALEG Heberi Filius,
 REVUS Phalegi Filius,
 SARAG Revi Filius,
 NACHOR Saregi Filius,
 THARES Nachoris Filius,

CA.